

totum nullum pro fine ultimo habeat bonum solius partis, sed totius: nec quod eam consequatur simul etiam *in corpore*; cum in corpore naturaliter obtineri nequeat beatitudo naturalis, eo quod ad corporis beatitudinem necessaria sit ejus resurrectio, quæ est supernaturalis, et hinc cum statu naturæ puræ concinnari nequit.

R. Utrumque esse probabile. Qui *primum* tenent, contendunt resurrectionem esse proprie et *strictè supernaturalem*, ideoque homini in natura pura prorsus indebitam: ad argum. vero respondent hoc esse intelligendum de *toto partes similes* habente, non autem de eo, quod unam partem mortalem, aliam immortalem complectitur, uti in homine accidit, cujus pars immortalis, scilicet anima, est nobilissima et toto præstantior. Rationem dant; quia finis naturalis totius hominis est naturalis beatitudo naturaliter obtinenda: sed naturaliter obtineri nequit nisi in sola anima, quæ una cognitionis et amoris Dei capax est; ergo.

Qui *secundum* tuentur, dicunt resurrectionem corporum esse *minus strictè supernaturalem*, h. e. *supernaturalem* quidem ex parte principii; quia nulla causa secunda naturaliter, sed solus Deus potest esse principium activum hujus resurrectionis: naturalem vero ex parte termini; quia resurrectio terminatur solum ad effectum intrinsece naturalem, nempe compositionem totius hominis et vitam naturalem. Quod autem hoc modo *supernaturale* est, non semper est supra naturæ exigentiam, ut patet in *creatione mundi*; imò potest esse secundum exigentiam, ut liquet in *creatione animæ rationalis* ad exigentiam materiæ dispositæ. Hoc posito dicunt resurrectionem corporum non esse supra, sed juxta exigentiam animæ rationalis tanquam formæ corporis in suo termino constitutæ, ideoque ipsi naturaliter debitam esse æque, ac ipsi beatitudo sua debetur. Porro huic opinioni non obest, quod sic immortalitas corporis foret debita naturæ puræ; nam quod hic conceditur, spectat ad statum termini.

170. *Obj. II.* Non potest creari homo sine notitia et amore veritatis, sine amore justitiæ, sine amore ipsius Dei, quia hæc sunt media ad obtinendum finem ultimum hominis. Sed in statu naturæ puræ hi amores haberi nequeunt; tum quia S. Aug. variis in locis requirit gratiam supernaturalem: tum quia distinctio duplicis amoris naturalis et supernaturalis juxta *Jansenium* conflictata est.

R. AUGUSTINUS loquitur, ut solet, de virtutibus *æternæ vitæ* meritoriis, quas unas virtutum nomine censendas esse docet pluribus in locis et maxime L. 4. cont. Julian. c. 3. Fundamentum autem distinctionis inter amorem Dei *naturalem* et *supernaturalem* habetur ex ep. ad Rom. c. 1. v. 20. ubi Apostolus docet gentiles naturali rationis lumine *cognovisse* Deum: c. 2. v. 14. autem affirmat gentes, quæ legem non habebant, naturaliter *fecisse* ea, quæ legis erant. Adde quod Paulus c. 1. v. 21. et seqq. dicat gentiles *inexcusabiles* esse, eo quod cum cognovissent Deum, non sicut Deum glori ficaverunt, aut gratias egerunt, sed *coluerunt* et servierunt creaturæ potius quam Creatori; juxta S. Aug. autem ep. 120. (al. 140. c. 18. n. 43.) *Pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando.* Item ex ARAUS. II. Can. 25. et TRID. Sess. 6. Can. 3. quæ dum definiunt *auxilium Spiritus sancti* necessarium esse ad diligendum Deum, non id absolute et ad diligendum quomodo-

cumque dicunt, sed addunt: *sicut oportet ad salutem*, vel: *sicut oportet, ut justificationis gratia conferatur.* Hæc autem limitatio foret frustranea, nisi alius amor Dei possibilis foret. Unde a Pontificibus damnata est propositio Baii 34.

*Inst. 1.* Nequit homo creari sine facultate amandi Deum propter se, seu amoris casti et recti: sed talis nequit haberi sine magna et proprie dicta gratia, ut affirmat Aug. L. 5. cont. Jul. c. 3. n. 9., ep. 120. (al. 140. n. 83.) et L. de corr. et grat. c. 2. n. 3.; ergo. *Conf.* Capitalis *Pelagianorum* error fuerat, posse amorem castum haberi naturæ viribus, et de hoc illos inter et Catholicos concertationem fuisse, testatur Aug. L. de gr. et lib. arb. c. 18. Attamen L. de nat. et gr. c. 2. ait, sine gratia Christi nihil recti facere etiam eos, qui fide Christi destituti naturaliter faciunt, quæ recta sunt.

R. *D. min.* Amor castus et rectus supernaturalis ac meritorius vitæ æternæ haberi nequit sine gratia proprie dicta *C. naturalis N.*

*Ad Conf.* R. Controversiam fuisse de charitate *supernaturali* et *meritoria*, ut vel ex ipsis locis objectis manifestum est. Apertius id ipsum declarat loc. ult. citato: *Natura humani generis ex illius unius prævaricatoris carne procreata, si potest sibi sufficere ad implendam legem perficiendamque justitiam, de præmio debet esse secunda, hoc est, de vita æterna.*

*Inst. 2.* Ipsi gentiles Philosophi agnoverunt, amorem Dei in homine non posse nasci sine magno Dei beneficio et gratia; quam eorum sententiam approbavit Aug. L. 8. de Civ. c. 5. 9. 10. etc.; ergo.

R. Philosophorum sensus erat, amorem illum ac Philosophiam aliaque id genus non posse haberi sine beneficio intra ordinem naturalem contento ac providentiâ quadam *speciali*; quæ tamen naturæ limites non excedat. Atque hæc responsio tenebit, arbitro vel ipso *Jansenio* qui objectionem movit, cum idem L. 1. de statu nat. pur. c. 13. dicat, *Philosophos ethnicos nihil omnino de elevatione naturæ ad statum supernaturalem disseruisse aut cognovisse.* Unde et S. Aug. approbatio huc pertinet. Dum is ibidem alibi- que ait, gratiam ejusque suavitatem debere nobis dari, ut diligamus Deum; intelligit, ut diligamus *perfectius*, quam Philosophia doceat, aut natura possit: sicut de patientia aliisque virtutibus dicit L. 22. de Civ. c. 22.

*Inst. 3.* Secundum doctrinam S. AUGUSTINI plurimis in locis omnis creaturæ rationalis amor vel est *charitas*, h. e. amor Dei propter se diffusus in cordibus nostris per Spiritum sanctum, vel *cupiditas*, h. e. amor, quo creatura rationalis vitiatur et corrumpitur; ergo nullus amor naturalis Dei propter se est possibilis.

R. S. AUGUSTINUM per *charitatem*, quam opponit *cupiditati* vitiosæ, non semper intelligere amorem Dei propter se et super omnia dilecti, sed amorem boni et honesti ut talis, quemadmodum ait L. 2. ad Bonif. c. 9. n. 21. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas?* Sufficiat interim damnata Baii propositio 38., cui consimiles sunt plures in *Quesnello* condemnatæ.

*Inst. 4.* Homini debetur de facto *gratia sufficiens* ad implendum præceptum supernaturale, et tamen juxta omnes hoc auxilium est supernaturale; ergo non est contra doni supernaturalis rationem, quod sit naturæ debitum.

R. *D. Gratia sufficiens* homini debetur debito fundato in natura rationali secundum se, vel in gratia minus proprie tali, qualis dicitur illa, qua creati sumus *N.* debito fundato in gratia priore strictè tali et naturæ omnino inde-



bita *C.* Primus sensus aperte coincidit cum sensu *Lutheri*, qui gratiam dixit naturæ debitam, ut lumen debetur oculo: *Secundus* est Catholicorum, juxta quos gratia sufficiens vel in se vel in prima sui origine semper est gratuita et naturæ prorsus indebita; cum debeatur vel illi, in quo aliquid *meritum* ex gratia priore et indebita elicium præcessit: vel homini justificato ad *perseverandum*, in quo justificatio et perseverantia sumit initium a gratia omnem naturæ exigentiam prævertente: vel illis omnibus, quibus eam Deus *promisit* et supernaturalium actuum exercitium præcepit, ubi hæc ipsa promissio et præcepti impositio magnum et gratuitum Dei beneficium est, teste *Aug.*

*Inst. 5.* *Sanctificatio* est donum supernaturale, ut omnes admittunt: nec tamen sine injustitia subtrahi potest naturæ innocenti, ut sæpius supra ex *S. Aug.* est dictum. Sed quod *sine injustitia* alicui subtrahi nequit, est illi aliquo pacto debitum; ergo aliquid potest esse gratiæ donum et una naturæ debitum. *Conf.* Non adhærere Deo etiam per supernaturalem dilectionem, vitium est *contra naturam*, ut docet *S. Aug. L. 12. de Civ. c. 1. n. 3.*; ergo.

*R. D. 2<sup>m</sup>, p. Ass.* *Sanctificatio* non potest sine injustitia subtrahi naturæ innocenti in præsentī providentiā, ubi Deus eam promiserat *C.* in alia quacumque *N.* Sicut Deus sanctificationem et jus ad gloriā Adamo gratis in prima sui creatione contulit, sic utrumque omnibus ejus posteris nullo peccato maculatis promisit. Hinc *S. Aug.* sæpe et optime contra *Julianum* intulit, vel parvulos sine baptismo decedentes in pœnam alicujus peccati, et quidem originalis, cum actuale per ætatem committere nequiverint, sanctificatione et beatitudine privari: vel, si omni peccato careant, Deum adversus illos injuste agere, utpote qui fidem fallat, innocentibus neget, quod ipsis se daturum promiserat. Similis autem promissio ad statum *puræ naturæ* non pertinet.

*Ad Conf. D. A.* Vitium est contra naturam præcise secundum se spectatam *N.* contra naturam ut ordinatam ad finem supernaturalem *C.* De postrema autem duntaxat loquitur *S. Aug.*, quia de natura agit in *præsentī providentiā* constituta.

171. *Obj. III.* Repugnat hominem innocentem naturaliter obnoxium esse illis miseriis, quas modo non nisi in pœnam peccati patimur: sed in statu naturæ puræ homo esset obnoxius miseriis; ignorantia, concupiscentiæ, morbis, morti etc., quas nos in pœnam peccati subimus; ergo.

*R. N. M.* Quæ aperte coincidit cum propositione *Baii 55.* damnata. Nam si id, quod naturaliter debetur vel ex naturæ principiis sequitur, est *naturalis defectus*, qui ante culpam per donum gratuitum et indebitum fuit impeditus, facile intelligitur, qua ratione hoc dono per culpam amisso naturalis defectus habeat *rationem pœnæ*; siquidem tunc culpa est causa moralis, cur idem defectus redeat in pœnam, qui ante per gratuitum et indebitum donum impediatur. Sic si homini plebeio, ad nobilitatem prius gratia principis evecto, postea in justam sceleris commisi vindictam nobilitatis insignia rursus demantur, *ignobilitas* ei incipit esse *pœna*, quæ antea fuit nascendi conditio, et sic naturaliter quodammodo debita. Simile etiam potest evenire in præmio. Si enim vir genere nobilis, in pœnam perduellionis, annexos nobilitati honores amiserit, postea vero propter insigne aliquod

meritum priori dignitati restituatur, jam incipiet illi esse *præmium*, quod olim fuerat jure generis hæreditario debitum.

*Inst. 1.* Juxta *S. Aug. L. 1. Op. imperf. n. 39. Sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest*: Et *L. 3. de lib. arb. c. 9. n. 26. Si peccatis (animarum) detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo atque administratio universitatis*; ergo hominem innocentem naturaliter miseriis obnoxium esse repugnat.

*R. D. Cons.* Ergo hominem innocentem repugnat esse obnoxium miseriis ut pœnalibus, seu quas patitur in pœnam peccati *C.* miseriis ut defectibus præcise creaturæ limitationem ac conditionem naturaliter consequentibus *N.* Adde *S. Aug. in Ps. 70. dicentem*, a Deo, si is supremo suo dominio et *absoluta potentia* uti velit, sine cujusquam injuria damnari, h. e. affligi malis inferni peccatum non connotantibus posse etiam justum. Quin ipsa *peccandi potentia*, sæpius id testante *S. Doctore*, magna miseria est, imo aliarum miseriarum quodammodo radix; nec Deus tamen injustus est, quod angelos et primum hominem cum hac potentia creaverit. Cur igitur foret injustus, si cum aliis illis defectibus crearet hominem?

*Inst. 2.* Philosophi quidam gentiles apud *S. Aug. contr. Julian. L. 5. c. 15. n. 78. et L. 4. n. 83.* ex sola miseriarum consideratione peccatum aliquod prævium agnoverunt: ipse vero passim contra *Pelagianos* ex hujus vitæ miseriis peccati originalis existentiam colligit; ergo videtur esse intrinseca connexio inter peccatum et miseras humanas.

*R. N. Cons.* Certa peccati originalis existentis notitia, ut testis est *L. 6. cont. Jul. c. 4. n. 10. S. AUGUSTINUS, ex una fide haberi potest*; unde vel Philosophi illi, qui, teste eodem *Aug. supra citato*, nonnullam fidei cognitionem habebant, ex principiis revelatis hanc illationem fecerunt, vel non nisi *conjecturaliter* peccatum aliquod prævium agnovere. Usurpavit autem *S. Aug.* hoc quantumvis conjecturale argumentum ex Philosophorum cognitione contra *Julianum*, qui in sui erroris patrocinium vocaverat Philosophos. Idem vero hoc argumento ex miseriis contra eundem recte usus est, qui locutus fuit de miseriis in *præsentī statu* et facta hypothese primi hominis in justitia originali conditi, ubi hæc miseriæ pœna sunt peccati. Hanc porro hypothesein contra *Pelagianos* fuse probaverat præsertim in Libris de pecc. mer. et contra *Julianum*.

*Inst. 3.* Ex *S. Aug. L. 1. ad Bonif. c. 15. n. 31.* nefas est de opere Dei erubescere. Sed ex eod. *L. 1. de nupt. et concup. c. 22. de concupiscentia erubescit homo, et in statu naturæ puræ etiam erubesceret, cum nemo nisi impudentissimus non erubescat de inordinatis concupiscentiæ motibus, ut S. Aug. Juliano frequenter objicit*; ergo.

*R. D. M.* Nefas est de opere Dei erubescere tanquam de defectu morali et formaliter culpabili *C.* tanquam de defectu physico et ad culpam non imputabili *N.* vel *subd.* in quantum is est opus Dei *C.* in quantum est opus hominis *N.* Inordinati concupiscentiæ motus secundum se sunt aliqua *erubescendi materia*, sicut sunt plures necessitates et aliqua officia, quibus satisfacere coram aliis quilibet honestus, licet sine peccato fiant, erubescit: si autem spectentur relative, non sunt nisi *materialiter* mali et denominative morales defectus, in statu quidem naturæ lapsæ effectus peccati, in eodem autem et naturæ puræ principia et dispositiones peccati. Cæterum licet ipsa



*potentia concupiscendi* sit opus Dei sicut potentia peccandi in creatura rationali, tamen motus concupiscentiæ inordinati non sunt opus Dei, sed hominis; cum hi ut repugnantes rationi non habeant causam efficientem, sed deficientem.

*Inst. 4.* Juxta S. Aug. L. 6. cont. Julian. c. 48. n. 53. concupiscentia est *affectio quædam malæ qualitatis*, ac proin et ipsa mala est; cum hac vero in statu naturæ puræ conderetur homo, utpote qui in hypothesi illa S. Aug. superius a nobis statuta deberet se liberare a *difficultate cruciante*; ergo cum concupiscentiam fatetur esse malam, negat autem eam esse a peccato, sed vult esse a Deo, cum Manichæis facit Deum auctorem mali. *Conf. S. Aug.* non physicum duntaxat, sed et *morale malum* dixit concupiscentiam tum rebellem, licet sine consensu voluntatis, tum indifferentem etiam ad voluntatem licitam vel illicitam; ut patet quoad 1<sup>um</sup>, ex L. 6. cont. Julian. c. 49. n. 60., quoad 2<sup>um</sup>, ex eod. c. 16. n. 50.

R. D. S. Aug. fatetur concupiscentiam esse malam moraliter et culpabiliter N. malam duntaxat physice aut denominative, sed non formaliter moralem, et hinc inculpabiliter malam C.

*Ad Conf.* Similiter sub distinctione mali materialiter vel denominative moralis et formaliter et culpabiliter talis C. M. Primum enim genus mali evincit tantum textus primus, uti verba: *Neque nulla est iniquitas*, satis arguunt, et alibi laudata S. August. doctrina certo declarat; in cujus confirmationem hæc habe ex L. 1. de nupt. et concup. c. 23. *Ipsa concupiscentia non est peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentitur.* Idem dicendum esse de secundo, postrema textus verba docent.

Certe mirum est, *Jansenium* tanta contentione impossibilitatem naturæ puræ ex relatis principiis urgere, cum tamen vi auctoritatis S. Augustini coactus L. 3. de statu nat. pur. c. 48. fateatur, potuisse *hominem innocentem* concupiscentiæ obnoxium a Deo creari, dummodo simul ipsi daretur auxilium, quo concupiscentiam vincere posset. Unde jam non est audiendus amplius, dum negat hominem a Deo condi posse cum concupiscentia, sicut is nequit condi cum *habitu vitioso*; præterquam enim, quod habitus vitiosus per se et unice inclinatur ad malum, concupiscentia autem tantum per accidens, eo quod hæc ex natura operis sit tantum inclinatio ad bonum sensibile corpori proportionatum, oriatur autem ex imperfectione naturali hominis, qui plus afficitur sensibilibus, quam spiritualibus, quod ea inclinatio mentem a spiritualibus avertat; Jansenii testimonium vim hujus argumenti enervat.

*Inst. 5.* Saltem concupiscentia rebellis non fuisset *utilis* ad ullum bonum, imo tanquam perpetuus ad peccatum stimulus fuisset valde noxia; ergo dari nequit in statu naturæ puræ. *Conf.* Hæc concupiscentia intulisset *moralem impotentiam* servandi legem naturalem saltem diu et constanter; ratio enim, cur homo in natura lapsa diu et constanter servare legem nequeat sine gratia, assignatur a Theologis concupiscentia: in statu autem naturæ puræ nulla gratia locum habet; ergo.

R. N. A. Aliquoties jam ex Aug. dictum est, concupiscentiam in hoc statu fore *proficiendi admonitionem et perfectionis exordium*; addimus ex eodem, non *superbiendi commonitionem*: *Dum pugnatur adversus eam, periculorum suorum animus admonetur, ne securus infletur.*

*Ad Conf. D.* In hoc statu locum non habet gratia ordinis theologicæ supernaturalis C. ordinis naturalis N.

*Inst. 6.* Quodcumque in hoc statu admittatur auxilium, vel fuit debitum, vel non: si 1<sup>um</sup>; ergo gratia dici nequit: si 2<sup>um</sup>; ergo poterit Deus illud negare, et sic hominem naturæ puræ relinquere in impotentia morali servandi legem et necessitate peccandi.

R. Auxilium *sufficiens*, quo homo *possit* servare legem in statu puræ naturæ, est *debitum* debito vel fundato in ipsa natura vel in perfectionibus divinis, atque hinc est gratia tantum ex gratia ordinis naturalis, scilicet ex supposito, quod natura pura et innocens creetur a Deo; cum ejusmodi naturæ videatur absolute debitum *auxilium naturalis ordinis*, quo possit moraliter per aliquod tempus legem creatoris sui servare, ne scilicet necessitate moraliter ineluctabili incurrat peccatum et sine sua culpa æternam damnationem, quod infinitæ sapientiæ et bonitati repugnat.

Auxilium verò *efficax*, seu quo legem *actu* impleat, licet naturalis ordinis, est favor specialis et prorsus indebitus; quia concesso auxilio sufficiente jam non potest peccatum et damnatio refundi in Deum, sed in hominem, qui eo auxilio uti potuisset, ac debuisset. Hinc verò explicatur, quomodo homo ejusmodi haberet potentiam moralem *inchoatam*, tanquam sibi naturaliter debitam, servandi diu et constanter legem naturalem; quia si homo per aliquod tempus, quantum moraliter potest faciat, Deus negare non potest ulteriora ordinis naturalis auxilia.

## ARTICULUS V.

AN NATURA LAPSA DEBILIOR SIT AD OPERANDUM BONUM MORALE NATURALIS ORDINIS, QUAM ESSET NATURA PURA?

172. *Dico I.* Homo in statu naturæ lapsæ vi *soliis peccati originalis* non est factus *intrinsece* debilior ad bonum morale ordinis naturalis, quam esset in statu naturæ puræ.

*Prob. I.* Nec assignari potest, quid homini vel ex corporis aut animæ substantia, vel ex utriusque aut alterutrius potentia naturali, vel ex aliqua forma substantiali aut accidentali, quæ naturæ humanæ connaturaliter debebatur, *detractum* sit, homoque nunc non habeat, et natura pura foret habitura. Et plerique jam concedunt, diminutionem hanc non esse factam per *additionem* habitus vel qualitatis morbidæ; cum neque generentur ab aliquo actu, neque vel per se vel per accidens a Deo infundantur.

*Conf.* Ex *removente prohibens* non sequitur effectus major vel minor, quam ex ipsa natura nullo prohibente sequeretur: sed *peccatum originale* solum removet id, quod in primo parente erat prohibens inordinatos motus concupiscentiæ aliasque infirmitates humanas, h. e. *justitiam originalem*; ergo ex peccato originali nec major debilitas nec minor facultas intrinseca sequitur ad morale bonum, quam esset in natura pura nullo peccato infecta.

*Prob. II.* Juxta S. Aug. L. 1. *Retract.* c. 9. n. 6. in natura pura potuit dari tanta difficultas ad bonum, quanta vi peccati originalis nunc datur in natura lapsa; ergo major facilitas non erat naturaliter debita naturæ puræ